

## Werk

**Titel:** Copiosissima Evangeliorum Dominicalium Expositio

**Autor:** Bakius, Reinhardus

**Verlag:** Lungius; Schmidius

**Ort:** Lübeck; Schleusingae

**Jahr:** 1640

**Kollektion:** VD17-nova

**Werk Id:** PPN616188471

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN616188471> | LOG\_0013

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=616188471>

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

## Dominica post Natalem Domini, Evangelium, Luc. 2.

**E**rant Pater & Mater eius mirantes super his, quae dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicitur, Quia & tuam ipsius animam penetrabit gladius, ut retegantur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Hanna Prophetissa filia Phanuel de tribu Aser, haec processerat in multam aetatem, & vixerat cum viro annis septem à virginitate sua. Et haec vidua annorum ferme octoginta quatuor, quae non discedebat de templo, ieiuniis ac deprecationibus seruiens die ac nocte. Et haec eadem hora superueniens, vicissim confitebatur Domino, & loquebatur de illo, omnibus, qui expectabant redemptionem Ierosolymis. Et ut persecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaam in civitatem suam Nazareth.

Puer

*Puer autem succrescebat, corroborabaturq; spiritu, & implebatur sapientia, & gratia Dei erat super illum.*

**R**Egius Propheta Psal. 148. v. 12. ita canit: *Iuvenes & Virgines, Senes cum Junioribus laudabunt nomen Domini:* Quibus verbis sicut innuitur, Deo nostro glorioso perplacere, & iuvenes & virgines, & mares & fœminas, & senes & pueros, ita comprobatur hæc satis luculenter hodiernum Evangelium: mentio fit in eo (1.) Christi Servatoris qui in plenitudine temporis elegantulus infans factus est, ut sciamus huic Domino parvulos nostros curæ esse, nec velle ipsum, ut unus ex illis pereat, Matth. 18. unde pueros blandissimè ad se invitat dicens: *Sinite parvulos ad me venire, nec prohibete eos, quia talium est regnum caelorum*, Marc. 10. (2.) in hoc Evangelio fit mentio S. Dei genitricis, quæ virgo fuit partum post-in & ante suum, ut sciamus Deo nostro etiam placere virgines, & quidem tales, quæ virgines sunt, & corpore & corde, & carne & mente, sollicitæ de iis quæ sunt Domini, 1. Cor. 7. v. 34. (3.) in hodierno Evangelio fit mentio Simeonis, senis decrepiti, ut sciamus Deo nostro etiam senectutem placere, senectutem inquam, quæ temni non debet, cum senium appetamus omnes Syr. 8. v. 7. Et (4.) tandem in hodierno Evangelio fit mentio Hanna Prophetissæ, ut sciamus placere Deo nostro non tantum mares sed & fœminas, quæ cohæredes gratiæ & vitæ dicuntur, 1. Pet. 2. v. 7. *Nescit itaq; religio nostra personas, nec hominum condiciones, sed animas inspicit*, Chrysost. & rectissimè cecinit David de N. T. tempore: *Iuvenes & Virgines, Senes cum Junioribus laudabunt nomen Domini.* Hæc si cui minus placeant, assumat præceptum, Deut. 19. v. 11. quo loco sicut jubetur, ut unus in causa aliqua testis non audiatur, sed in ore duorum aut trium omne verum consistere: Ita etiam in hodierno Evangelio duo quidem testes conveniunt, sed ejusmodi sunt testes, quorum auctoritas in dubium fortè vocari possit; Simeonem enim quod attingit, decrepituille Senecio est, jam verò *Senes bis pæri*, & verum Græcorum illud: *ὄχληρός ἀνὴρ ἐστὶν νόσις γέρον*, juvenum odiosus vir Senex in coetibus, nec semper senum laudantur verba, sed quandoq; (juxta Cornelium Gallum)

Exord. II.

*Stat dubius tremulusq; Senex, semperq; malorum  
Credulus & stultus quæ facit, ipse timet,  
Laudat & præteritos, præsentis despicit annos,  
Hoc tantum rectum quod facit ipse putat.*

**Hannam** quod concernit, videri illa poterat *anus multiloqua*, quæ in publico hominum congressu audiri fortassè non debebat, quia: *Garrula semper anus succenso admurmuret igni*, *Ein alt Weib vnd ein Essigfrug / wo die hin gehören / wer weiß es nicht* / ut jam nihil dicamus, de expresso Pauli interdicto: *Mulier taceat in Ecclesia*, 1. Tim. 2. 1. Cor. 14. quæritur itaque an in horum duorum ore verum consistat? Sed enim, in hodierno Evangelio attendendæ sunt, *non persona, sed personarum qualitas*, imò ipse attendendus est Spiritus S. Simeon non tantum senex est, sed & senex *δικαιος καὶ εὐλαβὴς*, Spiritus S. vivum templum: **Hanna** Prophetissa est, omnium virginum, mulierum, viduarum speculum est, imò & ipsa Spiritu sanctitatis acta prædicavit, manetque sic verissimum etiam hoc loco illud Mosaicum: *In ore duorum aut trium consistit omne verum.*

*Exod. II A.*

Adde his Epitheton Spiritus S. pulcherrimum, dicitur is, *Psal. 51. v. 14. Ruach Nedibah*, Spiritus *letitia exultans*, putantque Judæorum Rabini ideo Spiritus S. dona & charismata in juvenibus potius quam in senibus reperiri, quod per senum *melancholiam & morositatem* impediuntur effecta *Spiritus illius letitia*, qui propterea in cordibus juvenum potius quam senum habitare velit. Sed certum est Spiritum S. dici *Spiritum letitia exultantem*, non ratione *hospitii* (quod sibi in juvenum cordibus pareret) sed potius ratione *officii*, quia lætitiæ & gaudium excitat in omnibus illis ubi habitat, aliàs Deus Spiritus S. sui gratiam nec ad certum hominis senium, nec ad certum hominis temperamentum adstringit, sed distribuit illa, prout vult, 1. Cor. 12. Hinc licet nota sit & *Jeremiæ & Zachariæ juvenis*, Moses tamen anno ætatis 80. & Aaron A. Æ. 83. Spiritu S. largissimè donati sunt, *Exod. 17. v. 13.* nec *Zacharias & Elizabeth* præpediti sunt, quin viva Spiritus S. templa essent, *Luc. 1.* imò in hodierno Evangelio *annon & Simeon & Hanna* decrepiti senes sunt, & tamen in ipsis habitat *Ruah ille Nedibah*, Spiritus ille *letitia exultans*, qui N. T. temporibus promissus erat, non tantum *juvenibus*, sed & *senibus*, *Joel. 2. v. 28.* Adde tandem, si volueris locum, *Matth. 5. v. 15. Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Certum est Christum Servatorem esse magnum mundi luminare,

*Exod. IV.*

*Job. I.*

Joh. 1. id quod Deus pater etiam sub modio abscondere noluit, Sed 4. quasi *candelabra* sunt quibus lux illa mundi imposita, ut splenderet omnibus. 1. *Bethlehemitarum territorium*, quid fuit aliud quàm candelabrum quoddam, cui Christus, luminare mundi, ita impositus est, ut Pastores claritas Domini circumdaret, ut puerulus recens natus Salvator omnium hominum diceretur, & audiretur tandem angelicum illud: *Gloria in excelsis Deo, &c.* 2. *Orientalium calum*, quid aliud fuit quàm candelabrum quoddam, cui Christus, lux mundi, ita impositus est, ut Magi novam viderint stellam, quàm moti novum Judæorum Regem sedulo inquirebant. 3. *Ægyptiorum regnum* quid aliud fuit, quam quoddam candelabrum, cui lux mundi ita est imposita, ut Jesus per Herodis Tyrannidem eò fugaretur, tandemq; compleretur illud Propheticum: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, Ose. II. 4. *Judæorum tandem sanctuarium sive Templum*, quid aliud fuit, quam quoddam quasi candelabrum, cui hodie impositum est *Lumen* illud *ad revelationem gentium*, ita ut puerulus Jesus in templo præsentetur, ut à Simeone excipiat, ut ab Hanna vidua celebretur, utque à Parentibus admiretur, &c.

Pater autem & mater ejus. ] Ex Irenæo, Theodoro & Epiphanio constat, quod ex his verbis *Ebionitæ ac Carpocratiani* (quibus an Grodicius rectè Anabaptistas conjungat Conc. 2. ipse viderit) docuerint, Christum ex Semine Josephi & Mariæ natum eadem lege, quemadmodum alii homines ex conjunctione maris & scemine nascuntur, sed quis ignorat, Josephum hinc Christi Patrem dici partim, *putative*, juxta illud Lucæ 3. v. 23. *Jesus putabatur filius Josephi*; ita appellabatur, quia putabatur, inquit Bernh. hom. 2. sup. missus est; adeoque Lucas loquitur: *Vulgi opinionem exprimens, juxta Hieron. 1. Advers. Helvid. f. 3.* partim etiam Christi pater Josephi dicitur: *Curative*, quia Josepho, cura hujus pueruli, ab angelo demandata erat, Matth. I. v. 24. hinc Lyranus Josephum dicit Christi *Nutricium Patrem*, erat enim parens *cura non natura, nomine, non re*, vel ut Osiand. in Bibl. Maj. *Non generatione, sed educatione*, imò Syrus, ut & Græcorum exemplaria non pauca legunt, non Pater, sed: *Joseph & mater ejus mirabantur*, Radulph. Ardens ex his tale quid colligit: *Voluit Christus Josephum dici Patrem suum, ad exemplum, ut nullus quamviscunque, vilior se dici erubesceret. Id quod planè contra illos, qui Patres suos decrepitos, debiles & viles erubescunt, similes muli, qui ut fabula narrat inquisitus, quis esset Pater ejus, taceus vileret Patrem, equum generosum avuncu-*

Cur Josephus  
Christi Pater dicitur.

lum suum professus est. Erubescit igitur superbe vermis, Deus se dici voluit filium fabri, & tu tui Patris vilitatem erubescis, &c. qui simplici responsione contentus est, dicit: honoravit Josephum Spiritus S. patris vocabulo, quia nutriet Salvatorem, Orig. hom. 17. in Luc. Ita appellaris Josephus pro dignitate ministerii tui & pro occultatione Sacri Secreti tui, Thom. de Kempis Med. 8. de nat.

Mirabantur super his quæ dicta. ] Arist. l. i. Metaphys.

c. 2. dicit *Admirationem* oriri ex *ignoratione*, & multi perfectò fuerunt, qui & *Ignoranter* & *Dissidenter* & *Oscitanter* etiam admirati sunt. Ex (1.) *ignorantia* certè admiratur Isaac, unde putativus Esau tam subito ferinam habeat, Gen. 27. v. 20. ex ignorantia mirabatur Arabia Regina Salomonis magnificentiam, 1. Reg. 10. ex ignorantia mirabantur Sacerdotes in templo duodecennis Jesuli sapientiam, Luc. 2. &c. Ex *dissidentia* (2.) admirata est Sara & risit promissionem Isaac, Gen. 18. ex dissidentia mirabatur Satrapa ille Regis Samaritæ, promissam per Eliazum rerum omnium abundantiam, 2. Reg. 7. ex dissidentia etiam mirabantur, in Festo Pentecostes, Empectæ illi, qui eloquentiam Apostolorum ebriatati adscribebant, Actor. 2. Oscitanter autem & cum supina quadam (3.) *negligentiâ* admirati sunt in N. T. non pauci, ita mirabatur Pilatus Christi silentium, sed in ejus causam non inquirebat, Matth. 27. v. 14. ita mirabantur Pastorum verba Bethlehemitæ, sed de puerulo apud ipsos nato nihil erant solliciti, Luc. 2. v. 18. imò Luc. 5. v. 26. 11. v. 4. Matt. 8. v. 27. & alibi passim quoties legimus, homines ad Christi miracula obstupuisse quidem, nec tamen Christum pro vero Messia agnovisse. Quæritur itaque qualis fuerit admiratio Parentum Christi, non fuit *ignorantia*, non fuit *dissidentia* nec fuit *oscitantia*, sed potius *confidentia* & veræ fidei admiratio de qua Lutherus: *Non idè admirantur quia non credunt, sed quia credunt idè admirantur: non admirantur sed potius risuri & contemnturi hæc omnia, nisi credidissent.* Gualth. *Admiratio enim contemntui est contraria.* Plutarch. lib. de auditione: Indaganda autem est vera admirationis Parentum Christi causa Dn. Chemnitius (1.) urget verbum *ἠνωμαζεν* quod à septuaginta interpretibus ponatur pro Hebræo: *Palah*, & significet idem quod suspicere alicujus potentis personam, putat itaque Parentes Christi carnalem aliquam persuasionem concepisse, de externa magnificentia filioli sui, quasi ille evasurus esset in virum *ἠνωμαζεν* & magna in mundo acturus, proindeque Simeonem ut hanc opinionem

*Admiratio va-*  
*ria.*

1.  
*Ex ignorantia.*

2.  
*Ex dissidentia.*

3.  
*Ex negligentia.*

ex cordibus parentum Christi erueret, addidisse glossam illam satis duram: *Postus est in ruinam, & in signum cui contradicitur, quin & tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Hæc ita si essent, Admiratio Parentum Christi non ex omni parte esset laudabilis, utpote per Simeonem ab ipso Spiritu S. correcta. Alii (2.) dicunt parentes Christi admiratos, propter illa, quæ præteritis 40. diebus acciderant: Tantillus ille puer SALVATOR ab Angelo vocabatur, ab angelico Choro glorificabatur, à Pastoribus adorabatur, à stella demonstrabatur, à Magis mysticis muneribus venerabatur, à Simeone lumen gentium & gloria plebis Israel dicebatur, ab Hanna commendabatur, Radulph. Ardens, vel ut Ambros. Sermon. 12. Deserebatur huic puerulo, per Angelos: Gloria, per Stellam: Claritas, per Magos: religio, per Pastores: Simplicitas, per Simeonem & Hannam: encomium, Quid horum non admirabile? quid non incomparabile? quid non singulare? Bernh. Rectissime autem (3.) videntur statuere illis, qui parentibus Christi adscribunt admirationem, ex CONSENSU variarum rectificationum redundantem, audierant Gabriellem, Elisabetham, Pastores, Magos, horum itaque verba cum Simeonis carmine pulcherrimo conferunt, videntque testimonia de Jesulo suo magis magisque illustrari, hinc mirantur, & quidem illa mirantur, quæ de Puerulo dicta erant, ut Lucas expressè addit: ¶ Observa hic I. Incarnationem filii Dei verè esse mysterium *ἡμεῖς ἴδον, ἡμεῖς ἄδρον, ἡμεῖς φῶσιν, καὶ ἡμεῖς κατὰ λυφίαν,* de quo rectè cum Cypriano dixeris: *miror Deum in utero virginis, miror Omnipotentem in cunabulis, &c.* Equidem miratur, Jacobus suum de scala celesti somnium, exclamans: *O quam sanctus est locus iste!* Gen. 28. v. 28. miratur Sara Isaac natalicium, præ stupore etiam in risum soluta, Gen. 21. v. 6. Miratur David formationis humani corporis stupendum dicens: *Stupendo modo & mirabiliter factus sum, cognoscit hoc anima mea nimis,* Psal. 139. v. 14. Imperator OTTO II. dicebatur ob admirandam sapientiam: **MUNDI MIRABILIA.** Imò mirati sunt veteres septem illa mundi mirabilia. (1.) Dianæ templum Ephesinum annis 200. vix absolutum, (2.) Mausoleum sepulchrum ab Artemisia regina Arcadiæ extructum, (3.) Colossum Solis apud Rhodios tanta vastitatis, ut statuæ pollicem vix duo viri conjunctis brachiis potuerint circum dare, (4.) Iovis simulacrum, (5.) Muros Babyloniorum suâ latitudine duos etiam curus sibi oppositos ferentes, (6.) Pyramides Egyptiorum, quarum una trecentis sexaginta millibus hominum constructa, ut & (7.) Cyri regis Persiæ nitidissimum Palatium, de quibus omnibus vide Dn. Gerhardum in

*Incarnatio filii  
DEI summum  
mysterium.*

post. Sed vilescunt hæc omnia præ miraculo Nativitatis Christi de quo hymnus : *Miretur omne seculum talis partus decet Deum*, Was geschach so wunderbarlich? Gottes Sohn vom Himmelreich/der ist Mensch geboren. II. Quod de nativitate Christi dicimus hoc utiq; de omnibus religionis Christianæ capitibus verum est, *miranda illa sunt, non rimanda*, vulgò equidem dicitur, *Admirari fecit philosophari*, unde Arist. I. I. Metaph. c. 2. admirationem *Matrem Philosophiæ & Sapientiæ* dicit, sed in divinis cum omnia captum rationis nostræ excedant, non intelligendo credamus, sed potius credendo intelligamus, placet hic inferere verba *Gualtheri, in Lucam & hod. Evang.* ita commentantis : *Sunt hæc observanda adversus eos, qui Christianam fidem & æterna salutis mysteria nostri ingenii sensu metiuntur & Porphyrium atq; Iulianum imitati, scurriliter ridet quicquid ipsi intelligere non possunt, quasi verò Dei sapientiæ ad nostri captus modulum adstringi debeat. Utinam ipse Gualtherus & Calviniani omnes hæc observarent, in loco de Cœna, de Christi persona & alibi, multis certè disputationibus ita finis imponi posset. Sed Pontificii etiam nos & nostrates perstringunt, quasi Lutherani quoq; non tam mirarentur quàm rimarentur, verba Grodicii ita habent : Mulier, quo die hausit Spiritum aut Lutheranum, aut Calvinianum, aut Anabaptisticum, eadem horâ omnia novit, nihil vult discere, omnes vult docere, sanctos contemnere, doctos irridere : Maria autem in cujus utero fons sapientiæ latuit 9. menses, quam Spiritus S. obumbravit, quæ gratiâ plenâ fuit, quæ templum Spiritus S. quæ ab Angelis, Pastoribus & Magis edoctrâ, tam humiliter adhuc miratur concionem Simeonis. Resp. Nos omnibus nostris auditoribus, cum primis verò Mulierculis modestiam, in divinis præsertim, ferriò commendamus, nec imaginaria sapientiæ unquam à nobis laudata est, mirari itaque oportet fidei mysteria, sed ita tamen mirari, ut etiam mulierculæ concessum, scripturas scrutari, Joh. 5. & exiis indagare veritatem, juxta exemplum Berrhoensium, Act. 17. quod si factum, tunc mulieres nostræ sanctos non contemnunt quidem, nec tamen eos, more Papistico adorant, norunt enim tritissimum illud : *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies*, Matth. 4. ¶ III. Observ. Verum esse illud Paulinum : *Eadem vobis scribere me quidem, Fratres, haud piget, vobis autem tutum est*, Phil. 3. v. 1. Audiverant & Maria & Joseph concionantem de Jesulo sanctum Domini Angelum, Matt. 1. Luc. 1. Poterant itaq; dixisse : Quod jam pridem ex angeli ore didicimus, cur jam demum disceremus, vel ex Pastoribus plebeis, vel ex gentibus peregrinis, vel ex Simeone*

Δὲ καὶ τῆς  
τοῦ καλῶ.



meone feniculo, vel ex Anna etiam vetula, &c. Verum, quâ devotione, Joseph & Maria audierant concionantem angelum, eâ etiam auscultant & Pastoribus & Magis, & Simeoni, & Hannæ, quia supervacanea non cenferi debet, etiam millies de Christo repetita concio, sed & hic locum habet Scholasticum illud: *Lectio lecta placet, decies repetita placebit: Concio docta placet, decies repetita placebit.*

**Simeon autem benedixit illis.]** Cum in Festo Purificationis de Simeone pluribus agatur, hic breviores erimus. Refert *Galatinus* l. 1. c. 2. Simeonem fuisse FILIUM excellentis illius Judaici doctoris *Hillel*, conveniunt rebus nomina sæpè suis, *Hillel* enim *stellam matutinam* significat. Fuisse dicitur Simeon CONDISCIPULUS, *Jonathai* illius, qui 42. annis ante Christum natum, Biblia Hebræa in Chaldaicam linguam transtulit. Fuisse dicitur Simeon PRÆCEPTOR magni illius *Gamalielis*, cujus mentio fit, Act. 5. v. 34. & 22. v. 3. Dixisse fertur Simeon cognomine *Zadik* sive justus, *tria mundi fulcra* esse, 1. *Verbum Dei*, 2. *Verum Dei cultum*, 3. *Debitam benefactorum recompensationem*, Thalmud, in lib. de capit. patr. Quæritur autem de conditione huius Simeonis, & putant quidam Simeonem fuisse summum Pontificem, eumque vel illum, cujus mentio fit Syr. 50. & dicitur: *Simon filius Oniæ*, vel illum, qui referente Josepho, paucis annis ante natum Christum floruit, & dicitur filiam illius Simeonis Mariannam duxisse Herodes: Sed neutrum verisimile, quia Simeon Oniæ filius 200. ante Christum natum annis mortuus est, nec alter ille Simeon, utpote vir sanctus & justus, filiam suam Tyranno tam crudeli elocasset. Alii itaque cum Lyrano, ex Simeone faciunt *Sacerdotem*, idque ideo, quod Simeon hic dicatur benedixisse parentibus Christi, id quod Sacerdotum fuerit, Num. 6. v. 24. Verum non sufficit hæc ratio, cum Salomon Rex populo populusque regi benedixerit, 1. Reg. 8. v. 14. nec Simeon hic recitavit illam benedictionem, quæ Sacerdotibus divinitus injuncta, sed planè extraordinariam: imò Lucas satis perspicuè innuit Simeonem benedixisse Christo & parentibus, non ratione muneris sui ordinarii, sed potius ex peculiari instinctu Spiritus S. unde ante adventum parentum Christi in templo non fuit: Adhæc si maxime Sacerdos fuisset Simeon, ratione tamen Senii, jam fuisset emeritus, qui post 50. annum rude, ut dicitur, donatus & cum suis gratus sustentatus fuisset, juxta legem, Num. 8. v. 25. Hic ergo Simeon, *Homo antiquâ virtute & fide*, longè rectius ut ille *Hegio* in Terentii Adelpis, imo *Senecio* hic *tam dierum quam virtutum plenus*, juxta Bernh. Epl. 98. quid

fecit? *Benedixit illis*, parentibus scilicet Christi & ipsi Christo. Deo parentibus res plana est, de Christo autem quaritur, quomodo Simeon potuerit benedicere huic puerulo? Sine ulla enim controversia, *quod minus est à MAIORE benedicatur*, Heb. 7. v. 7. jam vero Simeon non est maior Christo, imo puerulus hic cum auctor sit & fons omnis benedictionis, per quem omnes gentes benedicendæ, Gen. 12. & in quo Pater nobis benedixit omni benedictione spirituali in cœlestibus, Eph. 1. quomodo illi benedicere potuit Simeon? Alii respondent *benedicere*, hic idem esse quod *prædicere*, cū Hieron. hom. 30. in Gen. dicat: *Iustorum benedictiones esse prophetias*. Alii dicunt *benedicere* hic idem esse quod *benè precari*, atq; sic Simeonem precatum esse felicem successum regno Christi, ex Psal. fortè 118. *Obsecro Iehova da felicē successum, benedictus qui venit in nomine Domini*, ita sentiūt. Orig. lib. 9. ad Rom. Tertull. 3. advers. Marcion. &c. Sed res plana est, si dicamus ab hominibus proferri Benedictionem geminam; *Eucharisticam* scil. & *vorivam*, Eucharistica benedictio est, quando Deo gratias agimus pro præstitis beneficiis, & ita Simeon Eucharisticè gratias egit Deo Patri, pro filii missione, quem Salutare paravit ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis suæ Israel. *Voriva* autem benedictio est, quando alicui gratulamur, & ita benedixit Simeon Mariæ ac Josepho, his, *juxta Ardentium*, forsan verbis: *Beata es* [Maria] *incomparabiliter, que sine exemplo credidisti, concepisti, peperisti, parturisti, lactasti, istum tuum filium, tuum Patrem, tuum Creatorem, tuum Deum: Tu quoque Joseph beatus es, qui inter omnes hujus mundi homines electus es, ut Christum nutires, foveres, bajulares, lumen gentium, gloriam populorum: imo ipsi Christo etiam benedixit Simeon, h. e. prospera quæque regno Christi exoptavit ex Psal. 45. fortè dicens: Infantule suavissime formosissime pro a filius hominum: diffusa est gratia in labiis tuis, benedicat tibi Deus in æternum, intende prosperè, à heros, procede & regna, &c. ¶ Observa hic 1. Magnificendam esse benedictionem piorum, de quibus altissimus: *benedicam benedicentibus tibi*, Gen. 12. v. 3. & quatuor quidem hominum ordines sunt, qui efficaci ter benedicunt: SACERDOTES, us quibus hoc demandatum, Num. 6. 2. PARENTES, ut enim maledictio patris & matris domum evertit, sic benedictio eorundem ædificat, Syr. 3. 3. PAUPERES sicuti Nacmi in egestate benedicebat viro egregio & benefico Boas, his verbis: *Benedictus sit Domino quia misertus est tui, & gratiam exhibuit vivis ac mortuis*, Ruth. 2. v. 20. & tandem 4. singularem esse emphasin ac valorem*

*Benedictio gemina.*

*Quadruplex benedictio magnificanda.*

rem ejus benedictionis quæ in extremo vitæ actu à MORIENTIBUS concipitur, certum est, unde Job de seipso inquit: *Benedictio Morituri veniebat super me*, Job. 29. v. 12. Has itaq; *Sacerdotum, parentum, pauperum & morientium benedictiones* licet magni faciamus, merito tamen explodimus *Pontificiorum consecrationes*, quibus cereis, aquæ, sali, herbis, &c. benedicunt, idque ideo, ut hæ creaturæ novam, spirituales & mirificam quandam induant virtutem, cum primis verò commendat *Costerus* in explic. hod. Evang. AGNOS DEI cereos, à Summo Pontifice, quem *supremum Christi in terris Vicarium* ille vocat, consecratos, de quibus refert, *quod talis Agni virtute sæpius detumuerint annes, quod grassantia non vado constiterint incendia, quod partus difficultates ejus vis frequenter superata, præter alia mira & stupenda plurima, quæ Catholici quotidie experiantur*: mirum est *Costerum* non addidisse *Versiculum Pontificis Urbani*, de cera italiquentem: *Peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angis, &c.* Nos ejusmodi benedictiones superstitiosas & blasphemias ideo repudiamus, quia (1.) carent mandato, quia (2.) carent promisso, quia (3.) putant Satanæ subjacere potestati illas creaturas extra benedictionem, cum tamen omnis creatura bona, 1. Tim. 4. v. 5. quia (4.) putant per istas suas benedictiones Creaturas acquirere vim salvificam, quemadmodum patet ex consecrationum diversis formulis, quas vide in parte 4. Exam. Trident. *Chemnitiani*, p. mihi 169. imò tam efficax *Papistarum consecratio* est, ut *S. Franciscus* alam affati caponis (quam ratione voti mandare non poterat) per benedictionem, mox in piscem affatum commutarit, in legenda typis æneis Augustæ impressa, *credat Judæus Apella, non ego Reinhardus*. ¶ II. Valdè impios oportet esse illos homines, qui Christo cum Simeone non *benedicunt*, sed potius *maledicunt*, per ejus passionem, mortem, vulnera & sanguinem execrantes & cælum blasphemio ore territantes, *benedicere* hoc quidem est, sed *in faciem benedicere* juxta stylum Diaboli, Job. 1. v. II. 2. v. 5. unde satis probant illi homines, se Dei spiritu non regi, Simeon enim habens Spiritum S. benedicit Christo, illi autem agitati à Satana execrantur Christum & Christi elementa, Sacramenta, vulnera cruenta, ideoque verissimum illud Apostoli: *nullus per Spiritum Dei loquens, appellat Anathema Iesum*, 1. Cor. 12. v. 3. ¶ III. Simeon benedixit non tantum Christo sed & parentibus qui Christum in domum Domini attulerant, quis verò hodie Christum portat in domo Domini? utique pastores & ministri verbi, sunt illi ut plurimum

*Et nos Christo benedicamus.*

*Christum constantibus benedicendum.*

*Maria vel dicitur be-  
ata dicitur.*

καταματ mundi, 1. Cor. 4. & mundus illis maledicit, sicut pueri petulantibus Elifæo, nominantes eum calvum, verum quomodo tu maledices, quibus Dominus non maledicit? quomodo tu execraberis, quos Dominus non execratur? Num. 23. v. 8. viderint potius hi maledicentes, ne Dei maledictionem sibi ipsis attrahant, juxta illud: *Maledicam ma-*

*ledicentibus tibi*, Gen. 12. ¶ IV. Observa rectè dixisse Mariam in suo Magnificat: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, Luc. 1. Primò omnium videtur hoc implevisse Vaticinium Simeon, qui beatam dicit Mariam, h. e. benedicit ei, sicut & muliercula illa matri quasi benedicebat ob filium, exclamans: *Beatus venter, qui gestavit te, beata ubera, quæ te lactaverunt*, Luc. 11. quin & inter gentiles sæpius talis audita vox: *Felices talem qui te genuere parentes*, quia benedictio filii, redundat in parentes, juxta illud: *Gaudium parentum filius sapiens*, Prov. 10. *Vo: itaque patres- & matres-familias vigilate in bona nutritura, eruditione & informatione filiorum, ut propter bonam filiorum inoleamini & vos benedici, sicut enim filius indisciplinatus vertitur parentibus in maledictionem, sic bene disciplinatus vertitur in*

*benedictionem*, Radulph. Ardens. ¶ V. Observ. Christianorum crucem & calamitates non maledictum sed potius benedictionem esse. Simeon con-

cionatur de futuris calamitatibus iisq; gravissimis, & tamen hæc omnia dicuntur: *Benedictio, mag wol ein wunderlicher Segen seyn*. Sanè mundus putat ita vivere, ut nullam sentias vel crucem vel miseriam, hoc esse benedictam vivere vitam, *beatus populus cui hæc sunt*, Psal. 144. Verum vita sine cruce non benedicta, sed potius maledicta est, id quod exempla Nabalis, Epulonis & aliorum satis superq; testantur: gloriemur itaque in aduersitatibus, & sciamus, timentibus Dominum omnia in bonum cooperari, Rom. 8.

*Ecce hic positus est in ruinam.* ] *Albertus Magnus* in Speculo, *Petrus de Aliaco* l. de concord. astrol. cum Theologia c. 2. ut & nostro tempore *Cardanus* & alii: eò vanitatis sunt progressi, ut Christo Servatori thema crexerint natalitium, indeq; varia prædixerint: Sed ejusmodi nugis opus non est, cum noster Simeon, non ex astris, sed ex Spiritus S. instinctu peculiari hic proferat, prædictionem Genethliacam, quæ Christo futura annunciat, longè certiora, quam quæ à Genethliacis principium filiolis recens natis annunciantur. Dicit itaque Christum positum in multorum RUINAM. Origenes putavit hic agi de ruina saluari, ut nimirum peccator, pœnitenti corde, prolabatur in peccato-

catorum suorum agnitionem, quo per fidem possit resurgere, verba eius hom. 17. in Lucam ita habent: *Ethnicus es, cadat in te Ethnicus, scortum diligis, cadat in te scortum, peccator es, cadat in te peccatum, ut possis resurgere.* Theophylactus verò putat hîc agi de ruina Christi in mortem, ut per eum *Multi resurgant*, sed non est opus hac contorsione, cum in græco reperitur vox *πίπτεις*, significans idem quod Hebræum *Negeph*, Ruinam si-ve *casum* ad internecionem, einen erschrecklichen Mordtsfall/qualiter describitur *πίπτεις* domus super arenam ædificatæ, Matth. 7. v. 27. *Als wenn einer dahin stürzet/das er die Wein in die Höhe fehret/oder als wenn einer vom hohen Thurm herab auff einen Stein stürzet/das er Hals vnd Bein bricht/ vnd sein Gehirn hin vnd her zerstreuet/oder/ als wann einer von hohen Klippen ins Meer sich stürzet vnd erseufft/Sacc. & de promptu hoc Simeonis Vaticinium est, ex Esa. c. 8. v. 13. & 15. ubi Prophetæ verba ita habent: *Dominum exercituum dicetis sanctum, ipse enim est timor vester & fortitudo vestra, Et si non obedieritis, erit verbum ejus vobis in ulsionem & in lapidem percutientem, & in petram scandali, &c. & offendent in eis multi, & cadent, & conterentur, & destruentur & capientur.* Quæritur autem quomodo Christus sit ruina multorum? annon genus humanum antea lapsum erat in Adamo? & quis credere potest, Deum ideo misisse Filium, ut hominum antea lapsorum plenior fieret ruina? venit certè filius hominis, ut non perderet, sed potius ut salvaret hominum animas, Luc. 9. v. 56. Resp. Utique lapsum erat genus humanum, jacebat in morte & peccato, ac ideò Deus Filium suum misit, ut omnes lapsi per ipsum erigerentur, nec in ruina manerent ac damnarentur, sed quot sunt qui putant se stare, quot sunt, qui nolunt lapsi videri, imò quot sunt, qui lapidem illum preciosum Christum apprehendere nolunt ut erigantur, hinc gravius labuntur & profundius, Adami enim lapsus non nocet in Christum credentibus; Christum vero temnere & aspernari, hæc demum est ruina & *πίπτεις* illa horrenda, in æternum exitium demergens. ¶ Dificamus hîc I. omni tempore completum esse hoc Simeonis vaticinium ita, ut Christus semper fuerit *lapis offensionis & petra scandali*, Judæi certè offendebantur servili Christi forma & quod fabri lignarii filius esset, Matth. 13. Romani, etiam Tyberio monente Christum crucifixum in numerum Deorum suorum noluerunt recipere, Turcæ dicunt, quomodo Christus Dei filius est, si mortuus est? brevissimè: Christus crucifixus Judæis scandalum est, gentibus vero ludibrium, 1. Cor. 1. si urge-*

*Christus semper  
fuit lapis scan-  
dali & petra of-  
fendiculi.*

mus opera offenduntur operarii, contemnentes Christi meritum: si urgemus fidem, offenduntur nostri homines, negligentes opera: quot offenduntur cruce & Christianorum calamitatibus, quas illi delicatuli pro Benedictione agnoscere non possunt, &c. beatus autem qui in Christo non fuerit scandalizatus, Matth. 11. labi talis posset, sed resurget à ruina per Christum, qui suis manum supponit, Psal. 73. v. 24. ¶ II. Confutabimus hic *Calvianos*, qui absolutum suum decretum, in nostro textu non parum stabiliri autumant, hinc Beza in c. 2. Luc. Simeonis vaticinium ita exponit, quod *Christus positus sit & constitutus ac destinatus à Deo, ut esset scopus, in quem impingerent plurimi: & porro ibidem docet, in aeterno Dei decreto Christum simpliciter & absolute à Deo destinatum esse, ut aliis sit in resurrectionem & aliis in ruinam, in executione verò eius decreti demum intervenire per euntium spontaneam incredulitatem & electorum fidem, Deum autem in consilio suo nec fidei nec incredulitatis respectum habuisse. Sed inspicatur locus Esa. 8. & res plana erit, dicitur ibi expressè Messiam PER SE esse non ruinat, sed potius *Sanctificationem* illis qui ipsum sanctificant & filialiter colunt ac timent: PER ACCIDENS verò fit Emanuel ille *petra scandali & lapis offendiculi* illis, qui incredulitate suà in eum impingunt. Certum itaque est Christum Dei decreto & PER SE, ordinatum esse credentibus in salutem, per accidens autem fit incredulis & malitiosè hunc lapidem rejicientibus, aut petulanter in eum incurrentibus, *petra scandali & ruinæ*, ita hunc locum exponunt, Paulus Rom. 9. v. 32. & Petrus, 1. Pet. 2. v. 6. adeoque verum est illud Damasceni: *Multi in scripturis asseruntur à nobis quos, causaliter vel causativè, quæ è ἀκαυχῶς, h. e. consecutivè & eventualiter sunt intelligenda.**

Et resurrectionem multorum. ¶ Desumpta hæc vaticinii Simeonis particula est, ex Esa. 28. v. 16. ubi propheta: *Sic dicit Dominus, ecce ego fundam in Sion lapidem probationis, singularem, pretiosum, solidum fundamentum, credens non festinabit, h. e. interprete Paulo, non pudefiet. Sensus itaq; talis est: Sicuti fit cum lapide in via posito, multi ex ambulanti- bus in eum impingunt, cadunt & colliduntur, multi verò colli si eodem lapide se erigunt & resurgunt, vel certè se si recumbunt: Ita etiam Christi persona, officio & doctrina, multi per incredulitatem offenduntur & in exitium ruunt æternum, multi verò lapsi, fide in Christum eriguntur, recreantur & vitam adipiscuntur æternam.* ¶ Observemus hic I. in Ecclesia militante bonis malos semper mixtos esse, nec solis Ecclesiam constare electis & sanctis, quod *Cathari*

*Ihanni & Anabaptista* voluerunt, ISRAEL enim quid in nostro textu notat aliud, quam veram Ecclesiam, jam verò prædicat Simeon, in *Israele* etiam semper miscendos, & *cadentes & resurgentes*; cedit *Iudas*, surgit *Petrus*, cedit *latus sinister*, surgit *dexter*: cadunt in Pentecoste *Empecke*, surgunt 3000. *penitentes*, cedit *Franc. Spira*, surgit *Vergerius*, patrum tempore, &c.

Es sind zweyerley Hauffen / etliche gläubig / etliche ungläubig / etliche fallen / etliche stehen auff / wer an Christum gläubet der stehet / wer nicht gläubet der fällt / Sacc. *boni* itaque & *mali* in Ecclesia mixtim reperiuntur juxta parabolas, Matth. 13. quivis autē nostrum attendat, ut sit ex numero non *cadentium*, sed potius *resurgentium*. Wer gefallen ist / der bleibe bey selbe nicht sitzen / sondern richte sich auff an Christo dem Edlen HERRN von Hellsenstein / intelligit hoc Ecclesia quando canit: Wer hoffet auff Gott vnd Christo trawt / der wird nimmer zu schanden / vnd wer auff dießen Felsen dawt / ic. intellexit hoc Bernhardus dicens: *Fremat mundus, tremat corpus, diabolus insidietur, non cado, fundatus sum super firmā PETRAM, peccavi, peccatum grande, conscientia turbabitur, non perturbabitur, quia vulnerum Christi recordabor*, imò intellexit hoc B. Lutherus, ad matrem suam graviter agrotantem tale quid perscribens: Zum andern / wisset ihr / liebe Mutter / auch das rechte Hauptstück vnd Grund ewrer Seligkeit / wor auff ihr ewren Trost setzen solt / in dieser vnd allen Nothen / nemlich den Eckstein Jesum Christum / der vns nicht wancken noch fehlen wird / auch vns nicht sincken noch vntergehen lassen kan / denn Er ist der Heyland aller armen Sünder vnd aller / die in Noth vnd Todt stecken / so auff ihn sich verlassen vnd seinen Namen anrufen. Herwiederumb / wer nicht auff Christum allein gegründet stehen wil / der fällt von Christo bis in Abgrund der Hellen.

¶ II. Pülchrē hic confutatur Novati dogma, qui negavit *Lapsis etiam astra patet ad-* post baptismum lapsos salutem posse consequi, etiam si poenitentiam *as-* *tra patet ad-* gant, sed contra docet Simon, Christum fore Resurrectionem, omni- *tas.* bus scil. lapsis, & quidem toties, quoties resurrectione opus est, hinc Cyprianus, Novatum rectē dixit *penitentia interfectorem & gratie hostem*, quia ut nos decet septies septagies uno die remittere fratri, Matth. 18. ita etiam nobis sine restrictione ulla à Patre cœlesti remittitur, Apocal. 2. v. 5. & 16. Matth. 9. v. 13. Ezech. 33. Prov. 24. v. 16. &c.

Et in Signum cui contradicatur. ] Papista putant hic agi de signo crucis, quod propterea coli, & juxta *Costeri phrasin* ADORARI debeat, sed manifestum est Simeonem hic loqui, nec de crucis ligno nec

de crucis signo, sed potius de ipso Christo, qui sit positus in signum, cui contradicatur. Rectius itaque sentit *Isidorus*, qui putat hic esse simile ab illis sumtum, qui ad propositum signum sive scopum jaculantur, *σημείον* enim est signum erectum, & respexit Simeon procul dubio, vel *Typum aeni serpentis*, Numer. 21. ubi Hebræum *Nes*, signum aut *rexillum*, reperitur, vel etiam *vaticinium*, Esa. 11. v. 10. ubi Deus promittit, se furculum *Isai* erecturum in *Nes* sive signum populorum. Præterea dicitur de hoc signo, quod sit futurum *ἀντιλεγμαῖον*, *ἀντιλογία* autem non sunt leves rixæ, sed contentiones acerbißima, sicut murmur populi, Num. 20. v. 3. contradictio Coræ, Epist. Judæ, v. 11. & actiones forenses, Exod. 18. v. 16. testatur Avicenna si candela ardens domui deserta & desolata inferatur, omnes protinus currere serpentes, viperas, & basiliscos ut candelam illam extinguant: Sic etiam Christus luminare illud magnum, huic mundo illatus varias habuit contradictiones, si docuit, reprehensus est; Si comedit & bibit, vinosus dictus est: si misericordiam exercuit publicanorum & peccatorum socius appellatus est, &c. ¶ Discamus quæ sit fors omnium piorum, ut nimirum variis tentationum & contradictionum telis, cæu signum aliquod erectum, cum Christo sint expositi, sic Israelitica Ecclesia dicit: *Posuit me, quasi signum ad sagittam*, Thren. 3. v. 12. Sic Jobus dicit: *Confregit me, & posuit me quasi in signum*, Job. 16. v. 13. Sic de Apostolorum doctrina dicitur: *De secta ista notum est vobis, quod ei ubiq; contradicatur*, Act. 28. v. 22. Sic Tertull. doctrinam Christianam nominat: *signum contradicibile*, Sic Luth. in Postill. Ecclesiast. *Ist kein widersprechen da / so ist Christus auch nicht da / Vnd solch widersprechen / welches geschiehet nicht von den Türesen / sondern von den allernechsten / weil Christus zum Wahrzeichen vnd zum Fall gesetzt ist / nicht den Babyloniern oder Assyriern / sondern vielen in Israel.* Cambyfes ob quotidianā ebrietatem reprehensus à Consiliario Prexaspide, ejus filium unicum exui jussit & pueri cor sagittā transfixit, innuens se etiam ebrium bonum esse *πρότιν*, ita & Ecclesia est signum erectum, ad quod mittuntur non tantum ignita Satanæ tela, Eph. 6. v. 16. sed & ex variis hæreticorum, Tyrannorum ac falsorum fratrum pharetris, sagittæ variæ, Mahumetanorum, Judæorum, Photinianorum, Calvinianorum, & Papistarum *coaxant in lacunis suis Monachi, boant sacrificuli, crocitant purgatoriani corvi, noctua sepulchrales ululant, serpentum & anguinium instar sibilant moniales & Begutta, rudunt deniq; asini & muli Romanenses,*

Omnes pii contradictionibus expositi.



nenses, imò & nobiles & plebei crabronum & muscarum instar vel pungunt Christianos, vel inani saltem stridore illis obfrepunt: Sed ut legenda SS. Cosma, Damiani & Sebastiani memorat, quod tela in eos missa, retorta sunt in ipsos hostes, ita etiam sagittæ contra Christum & ejus Ecclesiam emissæ ipsi nocent hostibus. M. Scava Julii strenuus miles, clypeo suo in una pugna excepit 120. sagittas, tot enim foramina in ipsius scuto reperiebantur: Ita & Christiani pro scuto habent altissimum, cujus sub alis tuti sunt, ab ipsius etiam diaboli telis & sagittis, *du bist mein Stärck / mein Fels / mein Hort / mein Schild / mein Krafft / sage mir dein Wort / ic.*

Animam tuam pertransibit gladius. ] Origenes olim philosophatus est in voce *pertransibit*, quasi scandalum tempore passionis Christi non sauciarit animam Mariæ, sed eam præterierit, verum in Græco est, non *παρελεύσεται*, sed *διελεύσεται*, quod significat *per medium transire*, seu penetrare & putarunt nonnulli Simeonem adhuc loqui de Christo, quasi dicere voluisset: Tuam ipsius animam, h. e. *animam filii, quæ & tua est & quam ut tuam diligis, pertransibit gladius*, sed licet Maria Christi animam dilexerit ut suam, sicut & de Davide dicitur, quod Jonathas eum dilexerit ut animam suam, 1. Sam. 18. v. 1. & 3. hîc tamen fœmininum *αὐτῆς* satis clarè innuit Simeonem non de Christo, sed de Maria agere, cui Simeon prædicit gladium & quidem in Græco *ῥομφαία* macharam, ein *Schlacht Schwerdt* / qui gladius vulneraturus sit non corpus sed *animam*, quâ patiente totum corpus compatitur, & profectò corporis dolores nihil ferè sunt ad dolores animæ, de quibus Syrach: *nihil est acerbius dolore cordis seu animi*, *Es ist kein Leid so groß als Herzeleid* / Syr. 25. Quæritur autem quid per hunc gladium sit intelligendum? Augustinus sup. N. Test. quæst. 73. putat, per gladium hic intelligi *dubitationem*, quasi Maria de Christo in cruce pendente dubitarit, *an esset Dei filius*, sed quis credet hoc, cum divinitas Christi Mariæ tot argumentis & testimoniis fuerit perluaa: Epiphanius hæref. 78. putat Mariæ hic annunciari *violentam mortē*, sed nec sacra nec prophana testatur historia Mariam gladio interfectam; In Papatu pingitur Maria multis circumdata gladiis, quorum mucrones omnes ad illius cor diriguntur, quosque deipara elatis manibus miserè reformidat, *Grupna* in Bohemia in cello monte exstructum est templum in Mariæ honorem, circum autem templum illud reperiuntur 7. Sacella, in quibus septem Mariæ dolores depicti, quod scilicet gladiū senserit, in filii *circumcisione*, in *fuga*

*Gladius Maria quid.*

*Egyptiaca, in Jesuli amissione, in eductione, crucifixione, depositione à cruce, & sepultura.* Sed certum est Simeonem loqui non de corporali gladio, sed de dolore quem Maria in filii passione sensit, *annon tibi plus quam gladius fuit sermo ille: Mulier Ecce filius tuus? inquit Bernhard. Serm. de B. Maria Co. 20.* cur autem talia prædixit Simeon Mariæ? non certe ut eam ante tempus contristaret sed potius ut ad futura præpararet, tela enim prævisa minus feriunt, & profectò summè necessaria fuit hæc prædictio cum paulò post Herodis infanticidiù & Christi fuga sint subsecuta.

*Maria compassione nihil.*

¶ *Observe hic I. crassissimè errare Pontificios in suavis suis somniis de Maria compassionibus, ut enim Zach. 13. v. 7. agatur, de Romphæa vel gladio Christi, ita hic agi de gladio Maria, dicunt itaque Mariam plus quam Martyrem esse, imò plus eam esse passam quam Christum, cum ille in corpore hæc verò in anima sit passa, sicq; redemptionem nostram non parum juverit, cum Deo Patri tempore passionis duo parata sint altaria, unum in corpore Christi alterum verò in corde Maria, in Tauleri libello passionum, à L. Surio edito Lugduni, pag. 158. & 346 sed increpet in te Deus Satan, Christus torcular solus calcavit, Esa. 63. ille solus nostras delevit iniquitates, Esa. 43. ejus solius sanguis mundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1.*

*Christiani passionis gladium effugere non possunt.*

¶ *II. Maria hic pulcherrimus Christianorum omnium Typus est, ut enim ipsa Christi mater passionis gladium effugere non potuit, ita crux impendet non vulgaribus tantum membris Christi, sed præcipuis & primariis, quoties illi Mariæ gladium senserunt! Sic de Josepho dicitur: Ferrum pertransivit animam ejus, Psal. 105. v. 18. Sic CHRISTUS in cruce orat: Erue animam à romphæa, Psal. 22. v. 21. Sic David conqueritur, molliores sunt sermones eorum oleo, sed gladii sunt, Psal. 55. v. 22. Item: Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt sagittas suas verba amaritenta, Psal. 64. v. 4. Verum toleremus hæc libenter & patienter, propter illum, qui dilexit nos, quid enim separabit nos ab amore DEI? nec tribulatio, nec persecutio, nec fames, nec nuditas, nec periculum, nec GLADIUS, certus enim sum, &c. Rom. 8. v. 35. accipe crucem, si vis lucem, perfer gladium, si vis gaudium.*

Ut multorum revelentur cogitationes. ¶ *Ut Poeta dicit: Et latebras anima pectus matrone recludit, ita etiam loquitur Simeon, & putant quidem per Mariæ constantiam sub cruce convictos esse illos, qui eam Christi matrem non esse suspicabantur, sed latius hæc extendi possunt, tempore enim passionis annon revelabatur Invidiarum malitia,*

lita, annon revelabatur tecta hæcenus *Iuda* hypocrisis, annon revelabatur *discipularum* infirmitas, *Petri* temeritas, *Ioannis* constantia, imò *Nicodemus* & *Ioſephi*, occulta fides, ut & vulgi levitas, cum paucis ante diebus eecinſſent: *Oſianna*, *Oſianna*, mox clamant mutato ſtylo: *Cruciſige, cruciſige.* ¶ Dicamus I. verum eſſe illud Poetæ: *Scilicet ut ſulvum ſpectatur in ignibus aurum, tempore ſic duro eſt inſpicienda fides*, ſic fides Apoſtolorum & multorum aliorum probata eſt, per crucem & Mariæ gladium, & in perſecutione hodieque occulta cordium revelantur, quando in aliquibus reperitur *βεβαιωτις* fides firmiſſima, qualis erat Stephani, Act. 6. in aliquibus reperitur *δλιγοτις* fides admodum infirma, ut in navigantibus diſcipulis, Matth. 14. in aliquibus autem revelatur *αμειβις* & hypocrisis ut de temporariis, Matth. 13. dicitur, perſecutiones itaque Eccleſiæ nihil aliud ſunt quam Chriſti ventilabrum, Matth. 3. v. 13. quo arcam ſuam purgans, paleas à tritico ſeparat, facta hæc tempore Interimiſtico, facta Calviniſmo aliquoties irruente & Eccleſias noſtras invadente, quoties tunc defecerunt turpiſſimè qui Eccleſiæ columnæ & bæſes videbantur, cum contra ſtrenui Chriſti milites & intrepidi, gloriæ ejus vindices facti illi, qui antea vix tyronum loco habebantur. *Cum igitur exurimur perſecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore*, *Textull. de fuga in perſeq. pag. 540.* Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis, *Syr. 27. v. 6.* ¶ II. Obſerva, nihil tam malum eſſe, quin ex eo Altiffimus pro multivariâ ſuâ ſapientiâ, boni quid poſſit elicere, ſic malum eſt, gladius cor Mariæ penetrans, ſed hoc tamen boni inde redundat, ut corda hominum, aliàs imperveſtigabilia, *Jerem. 17.* ſint revelata, gloriemur ergò in adverſitatibus, quia timentibus Dominum omnia in bonum cooperantur, *Rom. 8.*

*Tempore perſecutionis multorum corda revelantur.*

*Quæ mala ſunt à Deo in bonum diriguntur finem.*

Et erat Hanna ¶ Geſta ſunt hæc in porticu Salomonis, *Joh. 10. v. 23.* Act. 3. v. 11. ubi viri pariter & mulieres congreſſi, ſub dio, elatis in cælum oculis orare poterant, contra hodiernos *Judæos*, qui pro mulieribus peculiarem habent locum à virorum *Synagogâ* fenestris clathratis ſive cancellatis discriminatum, id quod ex *Zach. c. 12. v. 12. 13. 14.* conantur probare, cum ibi aliquoties dicatur: *Plangent eum familia ſingula ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum, &c.* Vide *Buxtorff. Synag. c. 9. p. mihi 240.* Sed hic, ordine ſatis congruo, poſt virum fœmina accedit, quia: *Si quis ſuſpectam haberet concionem angelicorum ſpirituum, is audiat Paſtores, ut veraces homines: Paſtores ſi cui vileſcant, is audiat Magos ex oriente ho-*

noratissimos; imò ex Iudæis si quis suspectos haberet gentiles, is audiat, ex Iudæorum gente & Simeonem & Hannam: prophetaverat copulata conjugio (Elisabeth) prophetaverat Virgo (Maria) prophetaverat seniculus vir (Simeon) prophetat ergò & Vidua (Hanna) ne qua aut professio deesset, aut sexus: quia n. omnē sexum & omnem ætatem redimere Dominus venerat, idèò dignū erat, ut & omnis sexus ac omnis ætas in ejus nativitate testimonium perhiberet, Bernh. Valdè a. jucunda horum duorum est conjunctio: Glos. ordinar. hīc quendam Adami & Evæ typum quærit dicens: Quia per virum & mulierem vita totus mundi perditæ est, in testimonio vita per Christum redeuntis Anna conjungitur Simeoni. Abbas Guericus, Serm. 2. de purificat. confert Simeonē & Hannam pariturturum dicens: Ecce habes hīc par turturum Senem justum, Samitam viduā, uterq; redemptionis desiderio gemit, uterq; se vivam Deo hostiam sistit, pares ambo fide, æquales castitate, similes devotione, consortes gratia prædicatione. Winckelm. in Luc. dicit Templum Hierosolymitanum hīc typum esse Ecclesiæ, in qua conveniunt tum Simeon & Hanna, tum Joseph & Maria: illi testamentum vetus, hi verò novum depingunt, Simeon Patriarchas. Hanna verò Prophetissa Prophetas repræsentat, utrique Christum prædicarunt & illum manibus quasi tradunt Joseph & Maria h. e. Ecclesia N. T. inde Apostoli eum excipiunt & per totum orbem deferunt, & sic salvari nos credimus per gratiam Jesu, sicut & illi in V. T. salvati sint, A. G. 15. v. 11. Pontificii hīc Lutherum perstringunt, qui adversum se & Philippum nihil fecerit, mille Augustinos, mille Cyprianos, mille Ecclesias, in lib. contra Henric. Regem Angl. cum tamen Simeon & Hanna hic repræsentent, non Lutherum & Philippum, sed venerandam patrum canitiem merito magnificandam. R. Senes Patres, adeoque ipsam antiquitatem magnificimus, sed usque ad Aram, angelorum ætas annon antiquissima est, & tamen illi contra Evangelium non audiri debent, Gal. 1. & cum Pharisei urgerent suum illud: Dictum est antiquis, respondit Christus: Ego autem dico vobis, Matth. 5. v. 21. & 27. imò alicubi scriptura dicit: Recedant vetera de ore vestro, 1. Sam. 2. v. 3. plus itaque credendum est vel laico scripturam proferenti, quam toti simul Concilio, Panormitan. de elect. c. significasti, vel ut Gerson: plus est credendum assertioni simplici in sacris literis excellenter eruditi viri, quam Papa declarationi. ¶ Discashic I. Ecclesiam sua habere halcyonia & sub falso etiam Ministerio eam plantari, quid enim Joseph & Maria, Simeon, Hanna & alii pauci fuerunt inter tot scribas, Phariseos & sacerdotes, & tamen in hoc corrupto cœtu, ex singulari Spiritus S. illuminatione quidam sunt, licet pauci; qui de religione rectè sentiunt & seriò redemptio-

*Ecclesia halcyonia.*

nem in Israel expectant. Quærunt subinde Jesuitæ, *ubi ante centum annos Lutherana fuerit Ecclesia?* nos itaque vicissim quærimus, *ubi tempore Simeonis fuerit Ecclesia?* utique in Israele fuit, licet valdè pressa & obscura, pari modo vera Ecclesia superioribus seculis sub ipso fuit papatu, & sicuti tempore Simeonis multi redemptionem Israelis anxie expectarunt, ita etiam sub papatu plurimos fuisse, qui Ecclesiæ reformationem calidissimis votis, & liberè & tacitè expectarint, id ex *Catalogo testium veritatis* manifestissimè jamdudum probavimus. ¶ II. Disc. pietatem *Senes cum primis pietas docet.* & devotionem maximè senes decere, *die graven Håupter sind in der Kirchen etn herrlich Zierat/* sicuti hic & Simeon *Seniculus* & Anna *decrepita* in Templo reperiuntur & maximà devotione interfunt sacris cultibus, *quid enim adolescens est sine religione & SENEX sine devotione?* Bernh. verissimus sanè Græcorum versiculus: *Ἐγγαρίων, Βυλαὶ δὲ μῆτρων, ἐὺχαὶ δὲ γερόντων, Juvenes laborent, viri consulcent, senes orent.* Inter mortis nuncios certissimus est: *cana senectus, cum capillus albus factus, animam mox abituram testetur, juxta Nili Episcopi dictionem, Senes ergò cum Simeone & Hanna templum assidue frequentent & orent ex Psal. 71. Qui me servasti puerum, juvenemq̄, senemq̄, Effatum serves me quoq̄, Christe senem.*

Hanna. ] *Optimus balsamus purissimum vas requirit, & epula etiam lautissima, in patellis minus mundis, facile pariunt fastidium, sic personæ inhonestæ, licet vera loquantur, fides tamen illis non habetur: commendat ergò Spiritus S. non modò Simeonem, sed & Hannam, aliquot Encomiis, quæ ceu gemmæ pellucidissimæ in fæmina hac resplendent. 1. Nomen hujus matronæ exprimitur, quod vocata sit Hanna, habuit hoc nomen à sanctissimis V. & N. T. fœmellis, cum juxta Glossam Ordin. quinque fuerint Annæ, prima mater Samuelis (1. Sam. 1.) secunda uxor Raguel (Tob. 7. v. 2.) tertia mater Tobie (Tob. 1. v. 9.) quarta filia Phanael (quæ nostra) quinta mater Maria. Observa autem hic olim etiam mulieres fuisse in fœdere circumcisionis, Hanna enim *gratiosam*, vel *gratia participem* significat, ita ergò dictæ sunt V. T. fœmellæ, quia sciebant patres, mulierem etiam gratiæ cohæredem esse, 1. Pet. 3. v. 7. *Die heiligett Weiber haben sich auch getröstet der Huld vnd Gnaden Gottes/ in Christo dem H. Ern Messia verheissen/ deren sie denn bey ihren Namen sich erinnert/* contra hodiernos Judæos, qui mulieres ex circumcisionis & gratiæ fœdere prorsus excludunt, ideo mares Judæi singulis diebus Deo gratias agunt, quod ipsos fœminas non creavit, Buxtorff. Synag. c. 5. p. 160. sed*

160. sed licet scemina circumcisa non sint, ex circumcisis tamen prognatae sunt, unde & ipsae in circumcisionis Sacramento exultarunt, vide Judith. c. 9. v. 18. & de agno paschali licet incircumcisis aliis edere non licuerit, scemellis tamen licuit, quia erant in foedere, Exod. 12. v. 48. Viderint autem & scemellae nostrae, ut similiter sint non morosae Xantippa, non rixantes Zipora, non tumultuantes Iesabeles & Herodiades, sed modestae & gratiosae Hanna, Hannae inquam; & non Gehennae mulieris enim suavis beatus vir, numerus annorum ejus duplex, mulier gratiosa oblectat virum, ut annos vite in pace compleat, Syr. 26. v. 12.

**Prophetissa.** ] Ne putes hic agi de fabulis & gerris anilibus, describitur Hanna, ut *Prophetissa*, quae protulit, res omnino serias, Prophetis enim arcana sua Deus revelat, Amos 3. & impossibile est Prophetam falli; juxta Ambrosi. sup. c. 1. ad Tit. quaeritur autem qualis prophetissa fuerit Hanna? Judaei dicunt id eam nominari prophetissam, quod fuerit alicujus Prophetae vel uxor, vel soror, vel filia. Alii putant Hannam dici Prophetissam id eod, quod *Prophetarum exactam habuerit cognitionem*, Prophetissa h. e. *in scripturis doctae & exercitata, perita divina voluntatis, Bucerus*. Sed fatetur ipse Calvinus perraro inveniri Prophetae nomine insignitos, quibus non esset simul datum praesentire praedicereq. futura, aut certe annuciare occultiora, quam ut humano ingenio essent cognitu possibilis. Statuimus itaq; Hannam Spiritu vere Prophetico uisae ornatam, id quod nihil absurdum, nam in N. T. mulieribus etiam promissum esse Prophetiae Spiritum, hoc satis liquet ex c. Joel. 2. & alibi, cum dicitur Deus dare verbum suum exercitu Evangelizantium magno, in Hebraeo est foemininum *Mebasserorb*, quo innuitur etiam foemellas tempore N. T. fore Prophetantes vel Evangelizantes, Psal. 68. v. 12. praeterea, quot Prophetissas habemus & in V. & in N. T. *Miriam* vocatur Prophetissa, Exod. 15. v. 20. Esaias accedit Prophetissam, c. 8. v. 3. *Debora*, Jud. 4. v. 4. *Holda* 2. Reg. 22. v. 14. *Nojada*, Neh. 6. v. 14. Prophetissae omnes fuerunt, quia etiam in N. T. Philippus Evangelista 4. habebat fillas *Prophetantes*, Act. 21. v. 9. talis itaque Prophetissa, cum & Hanna fuerit, magna utique ejus in populo Dei fuit autoritas, nam *nostra tum demum homines bona intelligimus, cum ea, quae habuimus, amisimus*, amiserant Judaei Prophetas post Machiam iisque jam caruerant annis ultra 400. si itaque Prophetico Spiritu donarentur rarius vel viri vel sceminae, illorum procul dubio celebritas magna fuit, & jucundum omnino est, quod hactenus quidem Pro-

Prophetæ filuerunt, adventante autem Christo Propheta illo magno, omnia quasi prophetant; *Hanna* est Prophetissa, *Simeon* accepit oraculum à Spiritu S. *Zacharias* vaticinatur, *Maria* & *Elisabeth* futura prædicunt, idque idèd ne quis offenderetur abjecta nativitate Christi, utpote quæ habebat non vulgaria sed Prophetica testimonia. ¶ Discamus hic mulieres ad publicum Ministerium malè à quibusdam admittas esse. *Ambrosius* sup. c. 3. *Epl. ad Tim.* accusat *Cataphryges* quod mulieribus etiam per ordinationem publicam comendarint Ecclesiastica, & *Aventinus* de Pontifice *Bonifacio* refert, l. 3. *annal.* quod *monialibus* etiam prædicandi potestatem concesserit, quid præterea apud Poetas reperitur de Trojanorum *Vestalibus*, item de *Sybillis*, ex quibus *Virgil.* l. 6. *Æneid.* unam nominat: *Vatem longævam & magnam Sacerdotem*, hoc facti notum, sed malè hæc, inquam, omnia, quia ut à mulieribus malè regitur civitas, ita multò magis Ecclesia, in qua mulier filere jubetur, 1. *Cor.* 14. 1. *Tim.* 2. quia ORDINARIA Ministerii administratio, propter τὸ ξύ ad viros tantùm pertinet legitimè vocatos. *Extraordinariè* autem & viris idoneis deficientibus etiam foemina pia docere ac Sacramenta administrare potest, si nimirum interveniant, vel *dona Heroica*, vel etiam *necessitas stricte*. Rationes sunt, quod (1.) vis & efficacia verbi ac Sacramentorum pendet non à distribuente, sed ab instituente, quodq; (2.) verbum & Sacramenta sunt bona totius Ecclesiæ, quod (3.) omnes Christiani sunt Spirituales Sacerdotes, *Esa.* 61. v. 6. 1. *Pet.* 2. v. 5. & 9. *Apoc.* 1. v. 6. imò (4.) quod hujus extraordinariæ dispensationis exempla non desunt, *Hanna* certè publicè de Christo loquitur in nostro textu, *Zipora* & *Maccabææ* mulieres suos circumciderunt filios, *Exod.* 4. 1. *Mac.* 1. foemellæ prædicant de resurrectione, *Matth.* 28. *Samaritana* ad concives de Christo concionatur, *Joh.* 4. v. 29. *Paulus* phceben nominat coetus Apostolici Sororem & Ecclesiæ *Cenchreenensis* Ministram, *Rom.* 16. v. 1. *Priscilla* maritum suum *Aquilam* in docendo juvat, *Act.* 18. liberis mulier captiva viam veritatis demonstrat, *Theodoret.* l. 1. *H. E. c.* 23. *Joannis Chrysofostomi* innocentiam *Olympias* Diaconissâ constantinopolita intrepidè tuetur, apud *Niceph.* l. 13. *H. E. c.* 24. Res plana est, ordinariè, loquatur vir in Ecclesia, mulier taceat, quia, juxta Glossam ordin. *Congruus hic ordo est, non venit ante virum mulier, cujus etiam verba ab Evangelistanon sunt digesta, quia auctoritatem docendi (ordinariè) mulier non accepit.*

Publicum Ministerium mulieribus non committendum.

Filia Phanuel ex tribu A[ser.] Gemma 3. in nostra Han-

na resplendens est *nobilitas generis*, ita enim solet scriptura Prophetas depingere, ut nimirum exacta fiat mentio stirpis, unde orti, *Esaias* ortus est ex domo David, Esa. 1. v. 1. *Ieremias* ex tribu Benjamin, Jer. 1. v. 1. *Ezechiel* ex tribu Levi, Ezechiel. 1. v. 3. *Ionas* ex tribu Sebulon, 2. Reg. 14. v. 25. &c. ita Hanna etiam dicitur orta ex tribu *Aser*. *Aser* fuit 8. Jacobi filius de quo ille, Gen. 49. paucula hæc vaticinatur: *Aser pinguis panis, delicias dabit regibus*, verè delicias Hanna hîc dedit Israelitis, Lutheri versio reddidit: *Er wird den Königen zugefallen seyn* / verè Hanna de tribu *Aser* Regi regum Christo hîc complacuit. Observa autem insignem Hannæ nostræ erga religionem Zelum, habitarat antea in superiori *Galilæa*, ubi *pinguem* habuerat *panem* & rerum terrenarum abundantiam, imò *pedes suos oleo tinxerat*, ut de *Aser* dicitur, Deut. 33. v. 24. sed relictis illis omnibus, marito defuncto, venerat Hierosolymam, ubi verus cultus, præ omnibus unicum exoptans, ut nimirum habitet in domo Domini omnibus diebus vitæ suæ, Psal. 27. v. 4. Hanna *ist jwar beyhm vollem erzogen* / sed cœlica terrenis antè ferenda bonis, unum est necessarium, Luc. 10. didicit in Christo, jam carere jam abundare, jam exaltari jam degradari, jam esurire jam fastidire, Phil. 4. v. 12. nec tantum familia nostræ depingitur Hannæ, sed & parens ejus, nomine *Phanuel*, cujus viri licet in scripturis nullibi fiat mentio, ipsum tamen in populo DEI satis notum & celebrem fuisse, quot in nostro textu documenta habemus? *Fortes creantur fortibus & bonis boni*, sed Anna nostra laudatissimæ probitatis foemina est, quis ergo de parentis pietate poterit dubitare? Adhæc viri alicujus obscuri & à nemine vix agniti cur mentionem fecisset Spiritus S. ? Præterea magna tunc temporis tribuum erat confusio facta, & difficilimè scîri poterat ex qua familia hic vel ille oriundus, cum igitur tribus *Phanuelis* exprimatur, magno ejus utique fuit autoritas, tandem: *nomina sunt aliquid, tu nomina spernere noli, conveniunt rebus nomina sæpè suis*, jam verò *Phanuel* Dei faciem significat, & videtur ortum nomen, ex historia Jacobi, qui postquam cum angelo esset coluctatus, locum vocavit *Pnuel*, visio Domini, unde procul dubio in aliis linguis, *Penuel* vel *Phanuel*. Quicquid sit, hæc summa Hannæ nostræ laus est, quod ex posteritate Jacobi oriunda, ad veram pertinet Ecclesiam, Basilius certè cum parentaret 40. Martyribus, quorum omnium patriam ordine recensere non poterat, conclusit tandem, in Christianis veram commendandam patriam, Ecclesiam scilicet *cujus civem esse laus sit præ-*



*fit præcipua.* ¶ *Observe hinc verum esse illud Davidicum: Quis est sicut Deus humilia Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in caelo & in terra, respicit. ut de stercore erigat pauperem &c. Psal. 113. Asser enim quid fuit: filius Zilphæ, ancillæ & pedifsequæ Leæ, Gen. 30. v. 13. & tamen ex hujus tribu orta est Hanna, Prophetissa illa insignis, usque adeo apud Deum non est personarum respectus, Act. 10. sed humilia eligit & contempta, 1. Cor. 1. nemo itaque ob ortus sui vilitatem desperet, qui enim Hannam ex tribu Aser fecit Prophetissam, vivit adhuc, magna agens etiam per vilia & contempta media, Syr. 3. & profecto Deo hominibusque pius vir bonus & frugi non est ignobilis ullus.*

*Hæc progressa in diebus multis.] En tibi gemmulam quar-  
tam, commendatur nostra Hanna à Senio, ist nicht gewesen eine junge  
Marrin/die herans geplappert / was ihr in Mund kommen / sed gravis &  
honestâ matrona, vidua circiter 84. annorum, quidam hæc intelligunt  
generaliter, de tota viduæ hujus ætate, qua terminum vitæ humanæ non  
nihil superasset, cum dies nostri sint anni 70. & in fortitudinibus 80.  
Psal. 90. Sed rectius videntur anni 84. sumendi specialiter de Hannæ  
viduitate, fuit vidua 84. annorum, adde 7. conjugii annos, & habebis  
annos 91. apponantur anni Virginitatis 18. saltem, & erunt anni 109,  
Ist das nicht eine verlebte Matron / die wird von alten Geschichten zu re-  
den gewußt haben / quoties cum gemitu narravit parricidium fastuosi  
Aristobuli, fratricidium impij illius Alexandri, quoties locuta de truculen-  
tia Pompei, de Tyrannide Crassi, de immanitate Herodis, qui omnes ab  
Hannæ nativitate, vel ob summi sacerdotii diadema altercati fuerant,  
vel templum spoliarant, vel Judæos in extremam etiam servitutem con-  
jecerant, Deut. 33. v. 24. de tribu Aser dicitur: sicut dies juventutis tuæ,  
ita senectus tuæ, quis non videt in nostra Hanna hæc completa esse. ¶ Longævitas Dei  
donum.  
Observe hic longævitatem certò Dei donum esse, juxta illud: Honora  
patrem & matrem, ut sis longævus super terram, Exod. 20. item: longitudine  
dierum replebo eum, Psal. 91. Viri autem sanguinum & dolosi non dimidiabunt  
dies suos, Psal. 55. proindeque manifestissimum pietatis in Hanna nostra  
signum est, quod illa annum etiam centesimum superavit, petamus ita-  
que longævitatem à Deo, qui est longitudo dierum nostrorum, Deut.  
30. v. 20. ille dat vitam longævam, Syr. 23. v. 14. & dies multos, Baruch. 3.  
v. 4. vivamus etiam ita, ut diu vivere queamus, nam de multis verum est  
tritu illud: Nequitia est que te non sinit esse senem, & profecto decurrere tuum  
est, sed*

est, sed prolongare Tonantis: pii autem si citius moriantur, cogitemus nos sapientiam veram esse senium, Sap. 4. v. 9. non enim qui corpore, sed qui mente senex est verum adeptus est senium, nam quod corporis est, cum brutis commune est, mentis vero solius hominis est proprium, adeoq; ad veram Dei suiq; notitiam pervenisse, est atatem perfectissimam attigisse, cum impii senes sint pueri centum annorum, Esa. 65. v. 20.

Vivens annos cum marito 7. à virginitate. ] *Gemmula*

5. ex omnibus sceminini generis statibus elucet. 1. *Virginitatem* Hanna servavit illæsam, hinc Virgo dicitur & non *περνι*, ut Rachab, Heb. II. v. 31. Virgo, inquam, vera, sincera, intacta, non virgo vel qua si, &c. 2. cum marito suo vixit, 7. annis, vixit cum eo & non cum alio, vixit cum eo, non semota ab eo, sic *wohnet bey ihrem Mann / sie leufft nicht von ihrem Mann* / ut hodie fit, imò vixit h. e. bene vixit cum marito, ex tribus enim Deo hominibusq; placentibus unum est, si vir & uxor pacificè vivant, Syr. 25. v. 2. tandem 3. licet vidua esset juvencula Hanna nostra, ad secunda tamen vota non perrexit, sed amissum maritum annis hæc tenus 84. deploravit, non quod nuptias damnaffet secundas, cum *Montansissus*, nec quod in statu viduali aliquod posuisset meritum, sed quia optimum suum Thesaurum Hanna amiserat h. e. maritum charissimum, quia in primo conjugio liberis, quorum hic nulla fit mentio, caruerat, quia se sterilem intellexit, imò quia sensit se continentix donum habere, hic post virginitatem & thorum solitariam elegit viduitatem. ¶ Observa hic merito rideri cramben illam Pontificiorum toties recoctam, quod *virginitas centesimas, viduatus sexagesimas, conjugium vero vix tricesimas* recipiat, vel quod *virginitas* acquirat *coronam auream, viduitas argenteam*, cum conjugium ponè sequatur *in pileo stramineo*, &c. nostra Hanna penitus hæc ignoravit, ideo in omni statu illæsa vixit conscientia, *virgo* fuit, *uxor* fuit, *vidua* mansit, quia omnes status à Deo ordinati sunt & consecrati, *Virgines* in mundum nascimur, *conjugium* Dei institutio sancta est, & quia Deus conjugem nos privat, etiam *viduitatis* est autor quæ ergo vesania est huic vel illi statui singulare assignare meritum, equidem propter externas commoditates, aut certas personarum conditiones, est sua laus cœlibatui, est & sua laus conjugio, & aliquando cœlibatus conjugio præfertur ob tempora periculosa, aliquando vero conjugium præfertur virginitati & cœlibatui, si nimirum quis pravis ustuletur concupiscentiis & libidinibus, quia *melius nubere quam uri*, 1. Cor. 7. Oggannunt

*Nec in virginitate, nec in viduitate, nec in thoro meritum.*

niunt quidem Papistæ, juxta nostram doctrinam neminem in statu vel viduitatis vel virginitatis sanctè posse vivere, cum Lutherus dicat, *uxorem ducere tam esse necessarium, quam cibum & potum sumere*, Respond. Loquitur Lutherus de illis qui sentiunt dono continentie se carere, nam esuriens si cibo uti noller, Deum utique tentaret & propria sua periret culpâ, Sic Monachi dum stimulos carnis indies sentiunt, & tamen optimo illo libidinum remedio, Conjugio, uti nolunt, sed illud mirâ potius temeritate abjurant, annon gravius tentant Deum quam famelicus aliquis cibo & potu uti nolens? Alia autem ratio est illorum, qui à conjugii lege absolventur, vel *necessitate*, vel *dono continentie*, breviter: quæ Lutherus de necessitate conjugii scripsit, illa magno Zelo opposuit, non *vera Virginitati*, sed potius impuro religionum Papisticorum cœlibatui, qui nomine virginitatis non est dignus. Virgines itaque cum virgine Hanna rectè vivant, faciant idem cum eadem conjuges & viduæ, tunc cuique statui sua laus debetur, nec de virtutibus tum *virginum*, tum *conjugum*, tum *viduarum* latius hic agemus, quia in postillis passim hæc occurrunt.

Non discedebat à templo. ] Sunt qui putant ob viduitatis luctum abstinendum esse à templo & publicis Ecclesiæ congressibus, sicut Azorius Jesuita instit. moral. l. 3. c. 7. dicit: *Morem illum non esse improbandum, secundum quem vidua, pro dignitate persona, post obitum viri, luctus causâ, domi se contineat* AD ANNUM, referente Pelarg. in Jesuitismo f. 63. imò inter nostros etiam homines hic mos invaluit, ut in luctu viventes, aliquot vel mensibus vel septimanis, domi delitefcant & publicos Ecclesiæ congressus negligant. Sed mala hæc & perversa est consuetudo, qua nostri homines non rectè sibi consulunt, ut pote qui tristitiam longè citius mitigaturi essent, si auditu verbi divini uterentur, quid enim consternatis animis veram, solidam & constantem consolationem, præter verbum Dei, poterit præbere? Hanna certè in luctu à templo recessit nunquam, Martha & Maria in morte fratris Christo occurrunt, ipsum auditura, Joh. 11. v. 20. & 29. imò David, Asaph & alii, quanto afflictior fuit illorum status, tanto majori desiderio sacros appetière congressus, Psal. 42. v. 5. 63. v. 3. 73. v. 17. Azorius itaque Jesuita quas institutiones morales conscripserit nihil nos quidem curamus, tertium certè decalogi præceptum longè aliud morale jubet, ut nimirum templum adeamus & Dei verbum audiamus, est enim verbum vi-

tæ æternæ, Ioh. 6. v. 60. habens consolationem, quæ animam lætificat,  
 Psal. 94. v. 19. 119. v. 92. Tria autè commemorat Spiritus S. de Hanna no-  
 stra: I. est, quod à templo discesserit nunquam, & variè hoc exponitur. Qui-  
 dam assignarunt Hannæ peculiarem in Templo cellulam sive domun-  
 culam, sed reclamât noster textus, qui expressè dicit Hannam *superve-*  
*nisse in templum* eo tempore, ergo antea à templo discesserat. Alii annu-  
 merant Hannam illis viduis, quæ domesticis curis solutæ, ante taberna-  
 culum excubabant, Levitis ministrabant, aquas asportabant, victimas  
 lavabant, vasa mundabant à sanguine &c. Exod. 38. v. 8. 1. Sam. 2. v. 22.  
 Sed quis scit an mos ille ad Christi adventum durarit? Verisimilius ita-  
 que est per Hyperbolen dici Hannam à templo nunquam recessisse.  
 Nam alii Iudæi erant vel extra vel intra Hierosolymam, qui extra habi-  
 tabant, tertantum in anno visitarunt templum, exceptis illis, qui præ-  
 ter 3. Festa etiam Hierosolymam adire cogebantur, ut *puer puræ, primoge-*  
*niti, Votivi, &c.* Qui autem in urbe habitabant, illi manè & vesperi sa-  
 crificiis quidem & aliis cultibus interesse debuissent, sed, ut hodieque  
 fit, curis domesticis & aliis negotiis præpediti, templum rarius adibant,  
*vel hora orationis, Act. 3. v. 1. vel Sabbato, Act. 15. v. 12.* Hanna autem quæ nec  
 domum nec liberos habebat curandos, nunquam à templo discessit, h.  
 e. singulis diebus adiit templum, & hyperpolem hanc ipse Lyranus ob-  
 servavit, ideo dicit Hannam in templo fuisse *non semper sed Frequenter,*  
 sicut & David orat, quod velit domum Domini inhabitare omnibus  
 diebus vitæ suæ, Psal. 27. v. 4. & Paulus etiam vult nos *sine intermissione*  
 (h. e. frequenter) orare, 1. Thes. 5. v. 17. II. dicitur de Hanna quod Deo  
 servierit jejuniis: Matrona hæc vixit in extrema & Reipubl. & religio-  
 nis Iudaicæ, tum oppressione, tum prophanatione, non itaq; delictis se  
 deditit, sed assiduis precibus jejunium conjunxit, quò ad devotionem,  
 mortificata carne, esset expeditior, ita enim sancti semper fecerunt in  
 periculis & calamitatibus ardentè oraturi, carnem temperantia subi-  
 gebant, ne spiritui ejus obstreperet petulantia, videantur exempla Iud.  
 20. v. 26. 1. Reg. 7. v. 6. Iudith. 8. v. 6. Est. 4. v. 16. &c. III. additur Han-  
 nam Deo servuisse precibus, *nocte dieq;*: Iudæi reliqui publicas fortè pre-  
 ces visitabant nonnunquam, illisque intererant, sed Hanna communes  
 illas preces privatim etiam juvit, sive *de die* in domo, sive *de nocte* in lecto  
 vigilans, & hæc etiam hyperbolica esse, satis constat ex phrasi Davidis,  
 qui similiter multoties dicit se nocte dieque orare. Psal. 1. v. 2. 42. v. 9.

77. v. 3. 88. v. 1. 92. v. 2. 119. v. 55. res manifesta est, si Hanna semper in templo mansisset, quomodo *supervenire* potuisset? si semper jejunasset & precibus sine somno invigilasset, quomodo ad tantum pervenisset senium? fuit itaque una ex illis viduis, quæ sperant in Deum & perseverant in observationibus & precationibus die ac nocte, 1. Tim. 5. v. 9.

¶ Confutemus ergo hic Pontificios, qui in multis circa Hannæ descriptionem exultant, putant (1.) Hannam Monialium suarum vivum quoddam exemplar esse, cum de templo discesserit nunquam, sed orarit, jejunarit, imò publicam etiam PROFESSIONEM fecerit, quando enim in nostro textu dicitur: CONFITEBATUR, tunc Hugoni de S. charo hoc idem est, quod PROFITEBATUR, verba ejus ita habent: *Professio dicitur, quantum ad Annam, quia Professionem Viduitatis fecerat*: putant (2.) Pontificii stabili hic preces suas nocturnas, easque stans horis fufas: putant (3.) satis clarè hic innui jejunia peculiarem esse cultum, præsertim cum in Græco hic reperitur vox *λατρεύειν*, ipsumque vertisse Lutherum: *Sie dienen Gott mit fasten*: putant tandem (4.) cultus electitios hic fundari, cum nostra Hanna, absque ullo Dei mandato & præscripto hæc omnia fecerit. Resp. I. Hannam Monialem fuisse nunquam probabunt pontificii, quia servit hæc Deo verè, Moniales autem in meris hominum mandatis frustra lassantur, Matth. 15. Adhæc dicitur Hanna expressè non PROFESSA sed *confessa*, imò si credunt Monachi & Moniales nunquam à templo Hannam recessisse, ipsi etiam in ediam semper patiantur, semper orent, nunquam à templo discedant, *Sowird nicht nöthig seyn / daß man ihnen statliche Dormitoria und Refectoria habe*. II. Demonstrant Papistæ, quod noctu Hanna *ex Voto* orarit, quod fuderit preces cum monialibus *certis horis*, quodque crediderit propterea suas preces Deo placere, quia *noctu fufæ*, id quod Monachis persuasum: certum est fideles preces quovis tempore atque sic etiam noctu Deo placere, sed votum monasticum hinc usque adeo non elicitur, ut David aliquoties dicat se *noctu* orare, nec tamen Monachus ipse fuit. III. Licet ponatur in nostro textu verbum *λατρεύειν*, non tamen additur vox: *Deo* sed simpliciter: *erat jejuniis & obsecrationibus serviens*, vox itaque, *λατρεύειν*, generaliter hic sumitur, ut & Syriacum *ܩܠܘܢܐܢܐܢ*

Hanna monialis non fuit.

*Pelah*, id quod idem, ac *cultui interesse, cultum promoveri*, nam reliqui Judæi, cum victimis tantum & Sacrificiis Leviticis essent intenti, Hanna obtulit Deo hostiam vivam Rom. 12. v. 1. *corpus* scilicet per jejunia, *animæ*

nam verò per obsecrationes. Jejunia itaque vera etiam rationem cultus per se non habent, sed *preparatio tantum sunt ad pias preces & alias Christiani cultus partes*, ut enim terra aratro ad sementem preparatur, ita & cor nostrum exaratur jejniis, ut *seminibus apta sit cœlestibus* ait Ambros. Serm. 26. unde etiam August. enarrat, Psal. 42. jejunia & elcemofinas *duas orationis alas* dixit. Tandem IV. opera Hannæ *indebita* fuisse, quomodo probabunt Papistæ? Si enim Hanna fuit ex numero Viduarum in templo excubantium, tunc ejus exercitium vetus omnino fuit, fundatum, Exod. 38. v. 8. adhæc *sub genere species latet*, jam verò Hannæ mandatum erat in lege, ut diligeret Deum suum ex toto corde, ex toto anima, ex totis viribus, quasi vero illa dilectio non complecteretur & hoc, *ut quis templum visitet diligenter, ut oret ardentè, ut vivat temperanter, &c.* nec talia opera indebita nos dicimus, sed illa tantum, quæ in generalibus etiam præceptis nullum habent vestigium, Matth. 15. v. 9. Deut. 12. v. 8. Ezech. 20. v. 19.

Hæc eâ ipsâ horâ superveniens. ] Ne res ex composito gesta videretur, dicitur Hanna supervenisse, *Ἐπιπέσει* significat actioni alicui *ex improviso* intervenire, vel, ut vetus interpres satis commodè reddidit, supervenire, videantur loca, Luc. 20. v. 1. Act. 4. v. 1. 1. Thes. 5. v. 3. posteaquam autem accessit, *vicissim confitebatur Domino*, inquit Lucas, Græcum *ἀνθρομολογείδω* pulchrum est, Erasmus reddidit: *Confessione respondebat*, Aretius. *contra confidebatur*, quasi *alternis choris Domino egerint gratias & refert huc Dn. Chemnitius locum, 1. Esdræ. 3. v. 10.* ubi dicitur in versione Græca: quod Sacerdotes & Levitæ in peculiari loco constituti, ad versus in laude Domini singulos, sibi responderint invicem (*ἀνθρομολογίαι*) Lutherus rectè vertit: *Sie sungen vmb etinander mit loben vnd dancken dem HERRN / quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus, sic haben vnter schiedlich Chor gehalten / aliis quidem præcinentibus, aliis verò succinentibus, imò pertinet huc historia Moïsis, qui canit gratulatorium carmen, Miriam vero Prephetissa respondet, carminis principium repetens. Exod. 15.* Ita in nostro textu Simeon *Præcentor* quasi est, Hanna autem *succentrix*, de qua Lucas memorat, quod de puerulo (quem DOMINUM in jam dictis agnovit) locuta sit ad omnes, qui in Jerusalem expectabant Redemtionem, & quia illi *Expectantes* omnes in templo hac quidem vice non fuerunt, putat Chemnitius, Hannam illos postea accessisse, ut ita per totam urbem divulgata sint ea, quæ

quæ jam in templo acta fuerant, quod si verum est, quæri posset, cur Rex Herodes Hierosolymis hoc tempore vivens, non statim post Pastorum, Simeonis & Hannæ publica hæc Testimonia sit persecutus puerulum? Sed responsio facilis est, sprevit Herodes Pastores Bethle- hemiticos ut rusticos vaniloquos, sprevit etiam testimonia Simeonis & Hannæ, qui præ senectute repuerascerent & gerras locuti essent aniles, adventantibus autem & magna quidem pompa adventantibus Magis Perficis, qui de iisdem cum Simeone & Hanna eadem testantur, *Da- frige Herodes eine Nase*, & de illo inquit puerulo. Jucundum autem & præ aliis notatu dignum est, quod Hanna Prophetissa passim locuta est, *de Redemptore & Redemptione*: multum Pontificii laborant in Hannæ operibus, quod templo semper adhæserit, quod viduitatem conjugio prætulit, quod noctu orarit, quod jejunarit & sic procul dubio monialis fuerit, verum quod Hanna omnem suam fiduciam posuerit, non in propriis meritis, sed potius in Christo *Redemptore & Christi Redemptione univâ*, de hoc apud Papistas altum est silentium, & non immeritò, si enim per operum suorum merita salvari possent, quid ipsis vel *Redemto- re* vel *Redemptione* opus? Nos autem hæc silentio non involvamus, sed sciamus potius multos ex Judæis expectasse redemptionem aliquâ tem- poralem, qua Romanorum jugum essent excussuri, idque ob loca, Job. 19. v. 25. Psal. 14. v. 7. III. v. 9. Esa. 41. v. 14. 43. v. 14. 44. v. 6. Jerem. 50. v. 34. Dan. 6. v. 27. & alibi passim, ubi quidem Messias dicitur *Redemptor*, sed Judæi intelligebant hoc de *Redemptione aliqua temporali*, unde certum est nostram Hannam isthæc loca omnia, ut Prophetissam valdè illumina- tam, exposuisse rectius & informasse pios illos *Expectantes*, qualis Mes- sias Redemptor esset futurus, *Spiritualis* scilicet, qui Israellem liberare de- beat & redimere à peccato, morte, diabolo, & æterna damnatione, pro- cul dubio allegavit Hanna & explicavit sequentia: *Liberabit animas eor- ù, at ex iniquitate*, Psal. 72. v. 14. *Liberabit Israel, at ex omnibus iniquitatibus*, Psal. 130. v. 8. *Venit ex Sion Redemptor, at avertet iniquitatem Iacob*, Esa. 59. v. 20. *Dixit Messias Redimam eos, at ex morte & inferno*, Ose. 13. v. 14. *Redi- met eos, at è lacu in quo non est aqua*, Zach. 9. v. 11. &c. Hæc omnia Hanna exposuit latius, sicque Iudæos de vera Redemptione rectè instruxit. ¶ *Unitas Chri- stianos decet.*

Observa hic, I. de Christianis rectè dici: *Sint unum, doceant unum fatean- tur & unum, unum qui Christi nomine nomen habent*, hic enim Hanna & Si- meon verè unum sunt, unum sentiunt, unum consententur, unumq; de

Christo docent, in exemplum omnibus Christianis, qui similiter sedulo conseruent unitatem Spiritus, per vinculum pacis, Ephes. 4. v. 3. Licet enim unitas non sit nota Ecclesiæ, id quod ex Harmonia confessionis Simeonis & Hannæ, elicere conatur, *Costerus, conc. pag. 212.* nam & *Diaboli Babylon una est*, juxta August. & pessimi quique, imò ipsi diaboli etiam concordēs sunt, Luc. 11. v. 18. Prov. 1. vers. 14. Apoc. 13. vers. 16. attamen studiosè conseruanda est, unitas doctrinæ & confessionis, ut sumus ab uno, Deo nimirum, ut sumus *sub uno*, nempe CHRISTO, ita etiam consentiamus *In uno*, videlicet Spiritu, coalescamus *per Vnum*, scilicet verbum, tendamus etiam *ad Vnum*, nempe æternam salutem, *unum* multi sumus in Christo, Rom. 12. v. 5. sumus *ὅμοθυμον τὸ ἐν Φρονήματι*, Phil. 2. v. 2. & taliter si consentiamus, tunc *dissonantia jejuniū* (& aliarum ceremoniarum) *non tollit consonantiam fidei.* ¶ II. Observa hic confirmari & approbari cultum illum qui in nostris reformatis Ecclesiis cathedralibus hodieque viget. Ut enim Simeon & Hanna *distributis quasi choris* Deum celebrarunt ad formam Levitarum & Sacerdotum, Esdr. 3. v. 10. ita etiam in nostris Ecclesiis Domini Canonici & Vicarii, in alternos divisi choros, Psalmis, Hymnis, aliisque piis cantionibus Deum ita celebrant, ut ad singulos versus alii præcinent & alii succinant, *quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus*, sicuti Esdr. 3. dicitur. Suggillent hunc divinorum nostrorum modum, qui velint, fundatus tamen est & in V. & in N. Testamento, *Daher kan ein frommer Canonicus Gott recht dienen vnd darff ihm kein Gewissen machen oder sich scheuen zu Chor zu gehen / modo devotione debita divina sua absolvat & semper memor sit versuum: Non vox, sed votum, non musica chordula, sed cor, non clamans, sed amans cantat in aure Dei.* Vnd dazu sind die reditus vnd Geistliche Güter in den Stifften vorzeiten verordnet / daß man dafür singen / beten / vnd nicht mit Müßiggang / spielen / fressen / sauffen / Bzucht vnd dergleichen bösen Sachen dieselbe gebrauchen vnd durchbringen sol / Gall.

At illi ut perfecerunt omnia. ] Dicit hic Lucas Parentes Christi statim post Purificationem reversos in Galilæam, ad civitatem Nazareth, unde quædam oritur difficultas, nam Magi orientales, ubi invenerunt puerum? non certè in Nazareth, sed in *Bethlehem*, inde abeuntibus Magis, ductus est in Ægyptum, & tandem ex Ægypto venit Nazarethum, cur ergo Lucas dicit, statim post Purificationem deportatum Christum in Nazareth? *Epiphanius*, ut hunc nodum solveret, statuit

Cultus Ecclesiarum  
nostrarum  
Cathedralium  
Deo placet.



tuit advenisse Magos biennio post Purificationem, ubi quidem Parentes Christi Nazarethi habitarent, sed singulis annis, circa tempus primi census, Bethlehemum eos rediisse, atque hac occasione Bethlehemi à Magis inventum esse Christum, sed hæc sine ulla certitudine dicuntur. Alii dicunt Magos venisse ante Purificationem, eaque peracta abiisse Parentes Nazarethum, sed subsequutam statim esse Herodis persecutionem, unde ex Galilæa fugerint in Ægyptum: Verùm quis credet Josephum cum puero in Galilæam statim post Purificationem spontè abiisse, cum rediens ex Ægypto Galilæam ingredi planè noluerit, nisi angelus Domini expressè hoc jussisset? adhæc Josephus dicitur fugisse illa statim nocte quæ Purificationem subsequuta, unde non ex Galilæa sed ex ipsa urbe Hierosolyma ipsum fugisse credibile est. Statuendam itaque Lucam nostrum properare ad descriptionem infantia Christi, proptereaque *omittere* ipsum, quæ *interponi debuissent* nempe Magorum adventum & Christi fugam in Ægyptum, idque propterea, quod hæc à Matthæo satis luculenter essent consignata. Ordo itaque talis est: Magorum discessum secuta est purificatio, qua peracta, Herodis Tyrannidi cedere jussus est Josephus, fugit itaque in Ægyptum, & inderediens, angeli jussu migrat in Galilæam, id quod Lucas dicit *Hystorologicè*, omitteus intermedia, à Matthæo consignata. Laude autem digni sunt Christi parentes, partim idè quod accuratè dicuntur observasse legem, juxta quam *omnia facta* utique ad legem & testimonium, Esa. 8. juxta legem quæ fiunt, illa rectè fiunt, cum Deus mandatis hominum frustra colatur, Matth. 15. partim etiam idè laudandi sunt parentes, quod omnia non tantum fecisse dicuntur, sed PERFECISSE, quia *incepisse multorum est, sed perfecisse paucissimorum*, juxta Gregorium. Tandemque Christi pædia subnectitur puer *crescebat*, lactatus est maternis uberibus, Luc. 11. v. 27. post aliquot fortè annos ab lactatu est, cum Maria hunc suum filium impensè dilexerit, plusquam Maccabæa, quæ filium per triennium lactarat, 2. Macc. 7. v. 27. post butyrum puer & mel comedit, Esa. 7. v. 15. incepit loqui: *Abi & Imi*, pater mi, mater mea nostrates (*Abbe Memme*) ut filius ille Prophetissæ, qui Christi typus, Esa. 11. v. 4. hæc est ætas Christi ad annum forte 5. & 6. In 12; *corroborabatur Spiritu*, in aliis pueris de die in diem roboratur quasi stultitia, ineptia, petulantia, & alia vitia; sed cum hæc corruptionis originalis pars sint, in Christo talia non apparuerunt, sed eorum loco magis magisque in hoc puerulo

se exeruit, Spiritus sapientiz & gratiz Dei, unde dicitur *plenus sapientiâ*, nam licet à primo conceptionis momento omnes thesauri sapientiz & scientiz in hoc puero essent absconditi, Col. 2. v. 9. illud tamen *πληρωμα* progressu ætatis magis magisque sese exeruit & radios sparfit supra talem ætatem, indies illustriores. Unde hîc puerulus non tantum amicis, notis & vicinis gratus fuit, sed & facilimè animadvertetur ab omnibus hunc puerum Deo ipsi singulariter gratum, & acceptum esse, hinc Lucas dicit: *Gratia Dei erat ἐν αὐτῷ*, quæ phrasis de donis valdè excellentibus aliàs usurpatur. Luther. in Postill. majori pulcherrimè: *Der Geist senckete sich je mehr vnd mehr in ihm / vnd bewegte ihn je mehr vnd mehr / wie die Wort lauten / also ist es zugangen auff alle einseitigt / das er warhafftig je älter / je grösser / vnd je grösser je vernünfftiger / vnd je vernünfftiger / je stärker im Geist / vnd voller Weißheit ist worden für Gott / vnd in ihm selber / vnd für den Leuten / da darffs keiner Blossen / vnd ist dieser Verstand ohne alle Gefahr / &c.* ¶ *Obserua*, I. perseverantiam in Cultu Christianos maximè decere, sicut hîc de Christi parentibus dicitur, quod omnia *PERFECERINT* juxta legem, Ex nostris hominibus quidam templum è loginquo introspiciunt, *Wie der Hund in die Küche*, timentes fortè ne ædificium corruat, si intrarent; alii vix audita Evangelii lectione discedunt, ut ita advenerit asinus & asinus abierit: Alii licet ad finem usque concionis perseverent, absque precum tamen & benedictionis torriculamentis discedunt, unde mirum non est, si aves illæ infernales advolent & semen verbi de cõrdibus auferant, Luc. 8. nos cum parentibus Christi *perficiamus* cultum, in quo Deo offerenda, non modò *caput* sed & *cauda*, sicut mandatum & præfiguratum, Lev. 3. v. 9. ¶ II. Attendant pii parentes ut & ipsorum liberi crescant, non tantum staturâ & corpore sed potius, ad Jesuli exemplum, *sapientiâ & pietate*. Impii parentes lætantur, si filii succrescant, ut plantæ in juventute sua & filiz ut anguli exsculpti ad similitudinem templi, Psal. 144. Sed quæ hæc læticia: *Ex nuce fit corylus, ex glande fit ardua quercus* crescant itaque liberi tui corpore sat citò, si modo sat benè, *Du wirst frûe gnug ein vngehobelten grossen Knorhans ziehen*/attende itaque ut & liberi tui in pietate ac sapientia crescant, sic Deo, hominibusq; grati erunt. Quod superest Christum rogemus, ut de gratiz & sapientiz suæ plenitudine nos ditet, ut de suo ipsum amare, diligere & venerari valeamus, qui cum Patre & Spiritu S. vivit & regnat Deus in æternum, Amen.

In Fe-

*Christianis in  
Cultu perseve-  
randum ad fi-  
nem.*

*Videant paren-  
tes ut liberi cre-  
scent sapientiâ  
& pietate.*